

titudo, et triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem eius: ostium autem arcae ponas ex latere deorsum, coenacula, et tristega facies in ea. » Unusquisque videt accuratam mensuram arcae pendere ex unitate mensurae quae hic est *cubitus*. Sciendum autem est cubitum eundem non esse apud diversas gentes et proinde investigandum esse de quo cubito hic Moyses loquatur. Cubitus geometricus longissimus est scilicet tres pedes et sex pollices. De hoc cubito Moyssem locutum esse putavit Origenes, et si hoc verum esset arca immensae molis fuisset, et difficultas evanesceret. Verum geometricus cubitus videtur aetate Moysi, et multo magis aetate Noë ignotus fuisse. Quare haec explicatio quamvis caeteris commodior communiter relinquatur. Quaerenda igitur est cubiti illius mensura vel in cubito Aegyptiorum, quorum mensuris Hebraei assueti erant cum Moyses scribebat, vel in cubito hebraico sacro, vel in hodierno cubito vulgari. Cubitus Aegyptius 20 pollices habet, cubitus sacer Hebraeorum 2½ pollices, denique vulgari seu ordinarius cubitus 18 pollices. Quod Moyses sacrum cubitum intellexerit inverosimile videtur cum nondum sacros ritus et mensuras ad sanctuarium pertinentes scripto consignasset. Itaque vel de cubito Aegyptiaco, vel de cubito ordinario loquitur. Si de primo dimensiones arcae essent sequentes: longitudo 512  $\frac{2}{3}$  pedes (Paris.), latitudo 85  $\frac{2}{3}$ , altitudo 51  $\frac{2}{3}$ . Si vero de vulgari cubito loquitur habetur longitudo 497,03, latitudo 82,84, altitudo 49,69. Laudatus Pelletier et alii passim primum illum cubitum accipiunt, ut et nos faciamus; siquidem, ut laudatus auctor, et ante illum Cumberland merito contendunt, cubitus vulgari Hebraeorum erat ipse cubitus Aegyptius, nostra autem mensura illis ignota erat saltem aetate Moysi. (Quamvis etiamsi assumeretur cubitus vulgari dimensiones tamen ita magnas esse appareret ut animalibus et cibariis capiendis sufficere possent). Nunc multiplicentur praedictae dimensiones et ducatur summa pedum cubicorum, quam Pelletier reducit ad 4, 784, 377, (deductis scilicet duobus cubitis ex 300, et ex 50, et 5 cubitis ex 30 pro lignorum spissitudine) quae internam capacitatem arcae repraesentat; et inde apparebit arcam non solum maximis quibusque navigiis capaciorem fuisse, sed iuxta calculum laudati auctoris (op. cit. Cap. I, pag. 10) in ea plus voluminis contineri potuisse quam in 40 navibus onerariis, quae singulae

mille marinorum ponderum (tonnellate) capacitatem habeant (1). Sed haec non sufficiunt. Totum spatium internum arcae in tres vel quatuor sectiones dividendum est. Hoc evidens est ex postremis verbis recitatis: *deorsum, coenacula, et tristega facies in ea*: hisce enim tria stadia, seu tres spatii divisiones, infima, media et suprema designantur. Notandum est enim vocem *deorsum* hic accipiendam non esse adverbialiter et coniunctim cum sequentibus verbis, sed substantive et absolute pro: *ea quae deorsum sunt*: seu infima loca. Vox *tristega* tertium stadium seu pavementum tertium domorum significat apud Graecos. Sed haec multo clariora sunt in originali textu ubi occurrunt voces חתים *inferiora*, שניים *secundaria* et שלשים *tertiaria*, ubi successivus ordo stadiorum evidenter apparet. Quapropter altitudinem illam 30 cubitorum intelligere debemus divisam per tabulata seu configurationes in tria spatia *inferius, medium et supremum*. Imo Iosephus, Philo alique Iudaeorum scriptores cum pluribus Christianis interpretibus contendunt proprie quatuor successiva spatia admittenda esse, addentes scilicet tribus memoratis *infimum*, interfundum arcae et primam pavementum, quod spatium carinae vel sentinae loco haberi potest. Rursum huiusmodi spatia in variis sectiones, seu cellas divisa erant ut in v. 24 expresse notatur: « *mansiunculas in arca facies*. » Ubi textus habet vocem *kinim* קנים quae proprie *nidos* significat, quo videtur indicari scopus istarum cellularum, scilicet capiendis animalibus. Denique hisce omnibus tectum superimpositum erat unius cubiti altitudinem habens ib. v. 16. Possumus autem supponere mediam regionem 8 cubitis altitudinis habuisse, superiorem autem et inferiorem 7 cubitos singulas, carinam 3, quibus fit summa 23 cubitorum, atque ita remanent 5 cubiti pro fundi, tabulorum, et tecti spissitudine, ut superius innuimus. Hisce distributis conformiter ad textum narrationis, et ex rei verosimilitudine conveniens locus omnibus in arca servandis assignari potest.

Verum antea 2° de horum *quantitate* dicendum est. Et primum de animalibus. Horum numerus non tam ingens erat ut prima fronte

(1) Ut sub oculis res ponatur sequentes comparationes institui possunt. Cathedralis Mediolanensis habet long. 418, lat. 312 pedes: Ecclesia S. Pauli Londinensis long. 499, lat. 251: Basilica Vaticana long. 575, lat. (navis mediae) 82.

videri posset, nec tantum spatii requirebat ut non posset facile in arca contineri. Sane excludendi imprimis sunt omnes pisces aliaque aquatica animalia quae in aquis diluvii vivere poterant aut quorum saltem ova servari poterant, quae incubatione non indigent ad speciei propagationem. Item ob eandem rationem excludenda sunt animalia amphibia. Et revera de hisce omnibus in textu non fit mentio sed solum terrestribus et volatilibus: « *Ingredieris, inquit, arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animalibus universae carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum masculini sexus et foemini. De volucris iuxta genus suum, et de iumentis in genere suo, et ex omni reptili terrae secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum ut possint vivere* » (VI, 19, 20). Praeterea in ipsis terrestribus animalibus et volatilibus, ut alibi diximus, sedulo distinguendae sunt varietates etiam constantes a speciebus proprie dictis, quae solae in arcam inductae sunt, ex quibus postea omnes varietates prodierunt. Iamvero species seu typi primitivi non ita multi sunt. Antiquiores naturalistae numerabant quadrupedum species circiter 150, reptilium circiter 25, quibus addentes novas species in Australia praesertim et oceani insulis repertas, primitivas species omnium terrestrium animalium non multo plures putabant 200: volucrum species Buteus numerat 130, his addentes novas species vix ad 200 pertingere credebant. Recentiores quidem zoologi multo plures species numerant, at non semper de veris speciebus, sed potius de varietatibus specierum loqui videntur. Insecta vero terrestria nominanda non sunt quia minimum occupant spatium, et etiam in minusculis ovis, sive in ligno arcae sive etiam extra arcam latentibus conservari poterant. Et haec quidem de specierum numero. Nunc de individuis et de spatio eis capiendis necessario. Sacer textus haec habet (VII, 2, 3): « *Ex omnibus animalibus mundis tolle septena et septena masculum et foeminam: de animalibus vero immundis duo et duo masculum et foeminam. Sed et de volatilibus coeli septena et septena masculum et foeminam: ut salvetur semen super faciem universae terrae.* » Haec verba a nonnullis ita intelliguntur ut ex mundis animalibus quatuordecim, idest septem paria, ex immundis autem quatuor, idest duo paria servata fuerint. Ita Origenes lib. IV, Con. Cels. Dionysius Carthusianus, Oleaster, Abenezra, et alii pauci. Alii vero ita intelligunt ea verba ut septem

tantum capita ex mundis, et duo ex immundis animalibus in arca fuerint, quae tamen essent ex utroque sexu, scilicet unum par immundorum, et tria paria mundorum: septimum animal mundum creditur destinatum fuisse sacrificio quod Noë vix egressus ex arca Deo obtulisse dicitur (VIII, 20): « *De cunctis pecoribus et volucris mundis.* » Ita Iosephus Antiq. 1, 3, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus (C. Iovin. lib. 1), Augustinus alique Patres et interpretes fere omnes, et haec est verosimilior sententia, ita ut textus dicendus sit significare de cunctis animalibus mundis septem utriusque sexus, de immundis duo item sexus utriusque. Iterum notandum est longe maiorem partem quadrupedum immundos fuisse apud Hebraeos, exceptis scilicet bove, capra, ove aliisque ruminantibus: volucres fere omnes immundae erant (Lev. XI), reptiles prorsus omnes. Quare paucae admodum species ultra duo individua in arcam inductae sunt. Accedit maiora et ferociora animalia inter immunda computari, ex quibus scilicet duo tantum servata sunt. Ita coarctato animalium numero, notandum etiam est parvam plerumque esse eorum molem. Inter quadrupedes vix sex species sunt equo maiores, paucae pares, reliquae longe minores. Reptiles autem et aves generatim parvae, saepe etiam minimae. Ex hisce omnibus potest quaedam idea efformari de spatio ab animalibus occupato, quod certe maius non fuit eo, quod occupant in zoologicis collectionibus quae in aulis universitatum et academiarum continentur, quibus omnibus arca longe amplior erat.

Nunc de annona in arca collecta. Pro octo hominibus haud multa necessaria erant cum ipsa animalia lac et ova eis praeberent; fructus etiam ac semina ad eorum sustentationem allata haud ita magnum spatium requirebant, praesertim cum probe scirent Noë eiusque familia se ibi ad vitam dumtaxat servandam, non vero ad indulgendum voluptati ac vitae commodis inclusos fuisse. De animalium cibo paulo gravior quaestio exoritur. Ad carnivora animalia quod attinet duae sunt interpretum sententiae. Sunt enim qui existimant ante diluvium nulla fuisse carnivora animalia, scilicet animalia omnia quae nunc carnibus vescuntur olim herbas tantum aut fructus comedissee non secus ac homines; post diluvium vero tum illis tum hominibus carnes in cibum concessas fuisse. Id probare satagunt ex loco Gen. 1, 29, 30, ubi Deus hominem paulo ante creatum ita alloquitur: « *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem*

*semen super terram, et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animalibus terrae, omnique volucris coeli, et universis quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens ut habeant ad vescendum.* » Alii vero animadvertentes animalia carnivora suapte natura ita comparata et conformata esse ut ad praedam capiendam et lacerandam facta videantur, contendunt ea semper carnibus pasta fuisse. Nostrum non est hanc quaestionem dirimere, nec id ad nostrae Theses defensionem necessarium videtur. Siquidem experientia comprobatum est animalia carnivora in carniū defectu etiam aliis cibis, puta pane, vel fructibus, aut radicibus vicitare posse, ut ex. gr. in cane domestico clarissime apparet. Quapropter necessarium non videtur aliorum animalium copiam in arcam inducere in cibum beluarum: quamquam si id omnino necessarium esset, etiam iis locus inveniri posset. Ostendit enim laudatus Buteus locum ibi fuisse praeter alia omnia etiam 3650 ovibus, quae gregatim vivunt nec multum spatii occupant, ita ut decem ex iis quotidie in cibum carnivororum cederent. Pro caeteris vero animalibus foenum, avena, fructus etc. in tanta copia contineri poterant in arca ut non solum sufficerent sed abundarent. Laudatus enim Pelletier Cap. XXIV accurata supputatione demonstrat 491, 784 cubicos pedes cibariorum omnibus animalibus alendis satis fuisse ita ut quotidie 524 cubici pedes consumerentur, arcam vero seu potius mediam regionem quam ipse horreum vocat plusquam 498,785 cubicos pedes capere potuisse. Ergo ciborum copiae plusquam sufficiens in arca locus aderat. Postremo etiam aquae potabili locus fuit et quidem iuxta eundem auctorem Cap. XXII in infima parte arcae 249, 392 pedibus cubicis aquae locum fuisse, quamvis huius quantitatis dimidium, imo etiam quarta pars sufficeret. Et haec de rerum numero et quantitate.

3<sup>a</sup> Haec omnia ita poterant commode intra arcam distribui. In sentina aqua potabilis continebatur, quae etiam ad navis aequilibrium loco saburrae inservire poterat: ibidem etiam serpentes ac reptilia quae loca humida et obscura amant vivere poterant. Supra primum tabulatum, seu in inferiore regione, quadrupedes in stabulis separatis (Pelletier 36 numerat seu 48 ex utraque parte, satis ampla semita inter duos ordines interiecta): in media regione ciborum copia: denique in suprema regione volucres, et homines cum instrumentis necessariis, apparatus culinae, et aliis huiusmodi. Ex hisce

omnibus apparet capacitatem arcae plus quam sufficientem fuisse ad ea omnia continenda quae in ea servata fuisse dicuntur.

*Resp.* ad 4<sup>m</sup> de introductione animalium in arcam. Si consideremus varietatem climatum non semper eandem fuisse, ac proinde nihil nos scire de geographica distributione animalium in prima illa aetate, apparebit absurdum non esse dicere omnes animalium species tunc in Asia fuisse. Si praeterea consideremus Noë centum annos temporis habuisse ad omnia comparanda, et utpote patriarcham sextentorum annorum plurimos praeter filios, nepotes, abnepotes, et vernas adiutores et colaboradores potuisse adhibere, impossibile non videtur eum pauca individua ex singulis speciebus animalium sibi comparasse, et ferociora caveis inclusa servasse et in arcam induxisse. Si enim nunc a paucis hominibus brevi temporis spatio id fieri videmus ut apparet ex frequentibus animalium praesertim ferocissimorum collectionibus (*serragli, menageries*) cur id ipsum a Noë eiusque aequalibus praestari non potuisset? Ceterum libenter admittimus in toto hoc facto specialem Dei assistentiam, fortasse etiam prodigium interfuisse: quod quidem Scriptura innuere videtur cum ait: « *bina de omnibus (animalibus) ingredientur tecum* » (VI, 20) idest, ut exponit S. Augustinus (De Civ. Dei XV, 27), *ultro venient*, sive tandem id factum fuerit angelorum ministerio, sive immediata Dei potestate, sive speciali quodam instinctu animalibus indito. Nec huiusmodi Dei interventus superflue inducitur, cum tam gravis et singularis sit huius facti natura, ut videatur esse prorsus *dignus vindice nodus*.

*Resp.* ad 5<sup>m</sup> et ultimum de *vita animalium* in arca. Ex dictis de arcae capacitate et de rerum in ea distributione responsio fere praeoccupata est; ita enim omnibus locus inventus est ut animalia possent ibi si non commode, satis tamen bene vitam agere. Quod pertinet ad aëris circulationem et ad excrementorum expurgationem credendum est necessarias cautelas a Noë adhibitas fuisse in extruenda arca. Absque dubio inter varios cellarum vel cavearum ordines, ut supra innuimus, sufficiens spatium ad transitum tum aëris tum hominum relictum erat: item sentinae vel latrinae in suprema et inferiori regione ad faeces efficiendas aderant ut nunc in navibus fieri solet. Quamvis autem in sacro textu de una tantum fenestra sermo esse videatur, credendum tamen non est unum tantum aditum fuisse luci ac aëri in arcam; sed absque dubio plura in op-

portunis locis foramina in lateribus arcae lucem et aërem in regionem animalium, atque hominum immittebant, praecipuus vero et maior aditus *fenestra* proprie dicta est: quamvis hebraicus textus hic habeat vocem צְנוּר *tsoar* quae latiore[m] habet significationem et ideo intelligi potest etiam longa apertura cum brevibus interruptionibus, quae totum arcae latus vel magnam eius partem occuparet. Praeterea ab una ad aliam regionem per scalas et cataractas aditus patebat, qui non solum hominibus necessarius erat ad animalium et totius arcae curam gerendam, sed etiam aëri et luci communicandae opportunus. Ex quibus etiam apparet impossibile non fuisse octo hominibus, praesertim robustioribus et nihil aliud agentibus, horum omnium curam gerere. Quod postremo loco obiciebant de aëris subtilitate adversariorum ignorantiam prodit. Aquae enim diluvii super vertices montium ascendentes atmosphaeram secum sublevabant, quae ideo in illa altitudine ita spirabilis manebat, ut antea in planitie fuerat.

Haec satis sint de historia diluvii et arcae: simulque de specialibus circa Pentateuchum quaestionibus quas speciminis gratia tractandas suscepimus.

FINIS

PRIMAE PARTIS INTRODUCTIONIS CRITICAE.

INDEX

PRAEFATIO PRIMAE EDITIONIS . . . . . pag. III  
 MONITUM DE SECUNDA EDITIONE . . . . . » VII

PROLEGOMENA

*Introductionis in Sacram Scripturam definitio - Obiectum - Necessitas - Historia 1<sup>o</sup> aëvo antiquo 2<sup>o</sup> aëvo medio 3<sup>o</sup> aëvo recentiore. A. Ex parte catholicorum. B. Ex parte protestantium. - Introductionis divisio - Operis partitio in Introductionem Criticam, et Exegeticam . . . . . » 1*

INTRODUCTIO CRITICA  
 IN SACRAM SCRIPTURAM

Praenotanda. - De S. S. libris generatim - De eorum divisionibus - Introductionis Criticae divisio in tres partes . . . . . » 11

PARS PRIMA

DE AUCTORITATE HUMANA ET HISTORICA LIBRORUM S. S.

Ordo logicus tractationis diversus a chronologico librorum, et quare - Divisio primae partis in duas sectiones. . . . . » 16